

- 1483 stium pertinaciam aliqua animorum defectio sequeretur, rem novam commentus dicitur, ut repente rumores toto oppido dissipandos curarit, se compertum habere, Venetam classem paucissimis horis affuturam. Jubet itaque toto oppido campanas pulsari, deque mœnibus alacrein clamorem tolli, tanquam a Veneto nova adessent auxilia. Cujus rei periculo percussus hostis, quingentis circiter viris amissis, trepide in altum abiit. Veneta classis non multo post Corcyram venit, ubi tota hyeme fuit: multæ per occasionem onerariæ hybernorum tempore hinc inde oppressæ, multæ citro ultiroque clades illatæ & acceptæ: nunquam de summa rerum dimicatum.
- 1484

Confederat Aragonius Dux ad Calcinatum, ut diximus, apparebatque, recta inde ad Lunatum oppugnandum iturum. Idcirco Maurocenus legatus ex Regianis castris munendi oppidi causa eo se contulit: accersitisque ex Veronensi agro agrestibus operariis, cum oppidanis & militibus, qui præsidio erant, fossa & vallo valide communivit. Aderat & Jacobus Medius, qui aliquanto antea cum trecentis militibus eo missus erat, ut Lunatensibus præsidio esset. Hi igitur cum expeditis equitibus, qui in oppido erant, & milite, quem eo venisse diximus, assiduis incursionibus omnia hostium pabulatoribus, quandiu ad Calcinatum fuere, infesta reddiderunt. Averterat ad hæc Venetus dux Seriolæ aquam suo cursu, ne si castra eo hostis admovisset, haberet unde aquari posset. Ob id Calaber, Gonzaga efflagitante, nunquam adduci potuit, ut in fiticulo loco diutius esse vellet: tentavit tamen Vidaciolum, ubi Seriolæ cursum Venetus averterat, occupare. Derivatur is fluvius ex Brixiensi Navilio. Locus Severinatis jussu præsidio initus, bis ab hoste oppugnatus capi non potuit. Tum Alphonsus ne amplius in mora esset, Veronam versus movere statuit. Ferunt hinc Mantuanum Principem Aragonio Duci iratum, quia Lunatum & Piscariam oppugnare in præsentia recusasset (quæ duo oppida imprimis Veneto adempta voluisset) Mantuanam abiisse. Sed id hostis consilium haud Patres latuerat;